



# Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.

**Petri Burmanni  
... Oratio  
funebri in  
obitum ...  
Cornelii Sieben**



VIRIS AMPLISSIMIS  
ET  
MAGNIFICENTISSIMIS  
REIPUBLICAE AMSTELAEDAMENSIS  
CONSULIBUS,  
ET  
ATHENAEI ILLUSTRIS  
CURATORIBUS,  
BONARUM ARTIUM CUSTODIBUS  
ET MUSARUM  
MAECENATIBUS OPTIMIS,  
HANC  
ORATIONEM  
FUNEBREM  
DICAT SACRATQUE  
PETRUS BURMANNUS  
JUNIOR.

THE  
UNITED STATES  
DEPARTMENT OF THE INTERIOR  
BUREAU OF LAND MANAGEMENT  
WASHINGTON, D. C.  
20250



PETRI BURMANNI  
ORATIO FUNEBRIS

IN OBITUM

VIRI CLARISSIMI  
CORNELII SIEBEN,

JURIS UTRIUSQUE DOCTORIS ET IN AMSTELAEDAMENSIIUM ATHENAEO ANTECESSORIS ORDINARII.

---

CIVITATIS AMSTELAEDAMENSIS CONSULES ILLUSTRISSIMI, ATQUE ATHENAEI HUIUS CURATORES, VIRI AMPLISSIMI ET NOBILISSIMI, AC PRAECLARIS IN REPUBLICAM MERITIS INSIGNES.

JUDICES ET SENATORES INTEGERRIMI ET GRAVISSIMI, QUIQUE IIS AB ACTIS ET SECRETIS ESTIS, VIRI SPLENDIDISSIMI.

CELEBERRIMI QUARUMVIS ARTIUM PROFESSORES, VIRI ERUDITISSIMI.

CLARISSIMI DEFUNCTI FILII, JUVENES ORNATISSIMI, CAETERIQUE CONSANGUINEI MOESTISSIMI.

CERIMONIARUM DIVINARUM ANTISTITES SANCTISSIMI, AC FACUNDISSIMI, VIRI ADMODUM REVERENDI, DOCTORES ARTIUM CONSULTISSIMI, EXPERTISSIMI.

CIVES, HOSPITES, QUOTQUOT AD FUNESTUM HUNC ACTUM CONDECORANDUM ADESTIS, CUJUSCUMQUE LOCI, ORDINIS, AC DIGNITATIS, VIRI SPECTATISSIMI.

TU DENIQUE LECTISSIMA JUVENTUTIS NOSTRAE STUDIOSAE CONCIO, REIPUBLICAE ET ECCLESIAE SEMINARIUM, OPTIMA PARENTUM SPES, CURA ET VOLUPTAS NOSTRA.

**N**on speraveram equidem fore, ut vix exacto primo apud vos stationis meae anno, quem ligata hilarioris argumenti Oratione auspiciatus fueram, alterum hunc soluta funestae parentationis concione inchoare me adegisset inexorabilis Fati necessitas, quae me ferali huic pulpito invitum inponit, ut defuncti nuper veterani ejusdem Collegii ac muneris Confortis manibus suprema a me persolvantur justa, ne Viri de Athenaeo nostro ac re literaria praeclare meriti funus indictum aut inhonoratum duci patiamur; sed exhibita atque expressa virtutum ejus ac doctrinae imagine, non inficiandi nominis dotes justa laudatione commendemus, & in imitationis exemplum ad posteritatem transmittamus. Extulimus enim, A A; extulimus non ita pridem exanimes Viri Clarissimi CORNELII SIEBENII reliquias, & mortales ac tenues corporis vi morborum consumpti ac fracti exuvias, ad destinatam sepulcri sedem deferendas, lugubri pompa moesto & atrato habitu comitati sumus. Sed licet caduci corporis inane cadaver, & omne id quod fragile ac mortalitati obnoxium hic circumtulit, obscuro tumuli carceri ingestum ac conditum sit, non decebat tamen illaetabili etiam nocte atque invidis silentii tenebris a nobis involvi & premi melioris partis dotes, atque animae, quae coelestis originis est, facta laudabilia suo fraudari praecognito,



nio, ne simul cum corpore etiam Collegae desideratissimi memoriam, &, quamquam ejusdem ordinis ac societatis vinculum inter nos scaeva & inportuna abruperit mors, cum amico etiam amicitiam extulisse criminemur. Publice enim vel exempli causa interest, ne illi, quos vel res praeclare domi forisque gestae, vel doctrinae laus vulgo exemit, ac natura benignior in ornamentum seculi & humani generis utilitatem produxit, post obitum suum illacrimabiles & ignoti obliviosa urgeantur nocte, vel quasi fugitivi memoria nostra elabantur; sed ut veluti tabulis depictae virorum Celebrium virtutes in aperta ponantur luce, ut in earum imagine, ceu in speculo, aliis intueri ac contemplari liceat gloriosae imitationis exempla, e quibus certissimo ad virtutem stimulo excitentur, & ad comparandam nominis perennitatem quasi admota face incendantur.

Si enim tam vulgatum esset viros eximios ac praeclaros mori, quam quotidianum est efferri illos, qui animalium instar ignobile aevum silentio transigunt, & quorum vita, etiamsi longissima, non pluris facienda sit quam mors, nemini sane umquam aliquid in publico dicendum esset de funere non proletario, neque ulla ad posteros opus foret commendatione, quoties praeclara aliqua virtus ex hac terra emigraret. Nunc quum rarissimum sit, neque quotidianum, obire illos, qui virtutis, ingenii, & eruditionis nomine  
prae



prae caeteris mortalibus censerī mereantur, atque humanae vitae brevitatem gloria rerum bene gestarum, & nominis famaeque mensura compensent ac proferant, eo magis nos decet non tacitam aut in-deploratam transmittere defunctorum memoriam, quam superstites ipsi factis meritisque quam maxime longam ac diuturnam efficere studuerunt. Quantam vero ex morte CORNELII SIEBENII, quem nuper nobis ereptum hodie publice lugemus, jacturam sentiat hoc bonae mentis sacrarium, vel me tacente, ultro agnoscitis ipsi ex ferali illo cultu, & atro velamine, quo induta moeret haec ipsa, in quam conscendimus, cathedra, cumque in praecipuis hujus Acro-aterii pulpitis se conspiciendos exhibeant partim Amplissimi Civitatis hujus Rectores atque Athenaei Moderatores, partim muneris nostri ac dignitatis Confortes, facile vobis omnibus, qui tam celebri confluxu in communis ac publici doloris partem convenistis, produnt & testantur, quam moleste calamitatem hanc ipsi ferant, neque vulgarem vulneris illius, quod Lycaeo nostro inflictum cum tanta squaloris ac luctus ostentatione dolemus, plagam esse.

Quam inania autem ac fugacia mortalium vota, quam vana atque irrita cogitationum humanarum consilia sint, manifesto documento hic ipse ostendit dies, quo ultimum pietatis atque honoris officium extincto Collegae à me praestatur, & pro sollemni concione  
fune-

funeris instituitur laudatio in hoc suggestu, quem eodem hoc tempore, & forte eadem die ac hora, adscendere, si fata sivistent, constituerat vir optimus, ut exactis Feriarum otiiis praevia oratione discipulis suis atque auditoribus, jurisprudentiae alumnis, praeiret ipse ad intermissa studiorum pensa, ac Recitationibus suis publicis proluderet: Jam vero os illud obmutescit, a quo pendere vos libenter solebatis, justitiae sacerdos ille, qui Themidis sacra vobis initiatis rite pandebat, quaeritur frustra ac desideratur, & fidissimus Dux, qui hanc bonarum artium palaestram vobiscum diligenter ingredi amabat, ex oculis vestris evanuit, iterque illud ingressus est tenebricosum, unde redire quemquam negant non revolutibilia Parcarum stamina. Hunc enim stationis suae cum laude exornatae cursum abrumpere eum inexorabilia coegerunt Fata, quae effecerunt, ut pro oratione tersa ac diserta, quam in Disputationum suarum auspiciis ab eo speraveramus, nunc, cum Libitinae praeda jaceat, confusum & inconditum parentationis, manibus ejus debitae, murmur, & inornatam funestae laudationis naeniam a me audituri sitis. Maluissem sane infausto hoc tristisque supremae pietatis officio, quod nunc mihi incumbit, vel numquam vel saltem serius defungi licuisset, vel potius ante fatalem suam horam ipse Siebenius alium virtutum suarum dignioremque elegisset praeconem, qui lon-

B

giore

giore familiaritatis usu, ac diuturniore collegii ejusdem societate propius & diligentius egregias Viri dotes inspexerat, easque proinde uberiori dicendi facundia, ac fertiliori rerum copia exornare, atque ex merito celebrare potuisset. Nunc vero cum hae partes mihi inpositae sint, quem vix unius anni spatium muneris consortem habuit, & qui probe noverim, quam parum exercitatus & ad bene dicendum imparatus adcedam, vereor certe ut mea ingenii tenuitate ac facundiae inopia Viri eximii laudes multum de splendore suo ac dignitate amisisse videantur.

Sed faceſſat operoſa excuſatio, ubi orationis neceſſitatem & muneris ratio & res ipſa vel invito inponit, cui quodcumque ad ornatum, elegantiam, & ambitioſas laudum formulas deërit, id omne me ſimplici & aperta brevitate, quantum licet, conpenſaturum polliceor, ne videar a vobis, A A: H H: adtentas mihi dicenti aures animosque faventes ab eloquii ac facundiae dote, quam in me nullam agnoſco, & verborum lenociniis magis exſpectare, quam à vero dolore atque adfectu, quo lugetis illum, de quo verba facturi ſumus, ac juſta veneratione, qua ſuperſtitem atque inter nos agentem proſecuti eſtis Siebenium, qui nunc emeritis vitae humanae ſtipendiis beato coeleſtium choro additus perennis aevi delicias guſtat, nobisque virtutum ſuarum deſiderium reliquit.

Solent

Solent plerumque illi, qui generosioris indolis vina commendare conantur, sive ea produxerint Campani Falerni juga, vel felicia Baccho Massica; tum peregrinis mercibus ut majus pretium concilient institores, operose venditare terrarum, e quibus advectae sunt, nomina, quia plerumque majori admiratione intueri amamus externa, & è longinquo petita, quam quae vulgaria & omnium oculis exposita quotidie patria producit tellus; ac profusis sumptibus comparare & excolere studemus arbores ac plantas ex remotis oris quaesitas, quam fruges & olera, etiamsi saluberrima, quae nostra sua sponte proferrunt arva. Verum non adeo necesse est ad solidam laudem clarorum hominum, in quibus animi munera spectantur, ambitiosum in modum celebrare, quodnam illis natale solum fuerit, aut ex quibus parentibus orti sint, quia celebres viros egregia mens, ingenium, & virtus facit, quae ut coelestia munera sunt, ita cuiquam ubique obvenire possunt. Si enim naturam excellentem, aut eximiam ac singularem virtutem vel patriae vilitas excluderet, aut sola tantum daret incunabulorum nobilitas, numquam sub crasso Baeotorum aëre, aut vervecum in patria nati fuissent viri sapientia & literarum studiis exculti: neque apud feros & incultos Thraces provenisset Orpheus, hominum sapientissimus, aut apud Abderitanos, omnium mortalium stupidissimos, progenitus fuisset De-



mocritus. Turpius enim est patriae incolam esse de-  
 decori, quam homini patriam. Natalibus igitur suis  
 Siebenius illustravit Creveldiam, Comitatus Meur-  
 fensis oppidum in Circulis Westphaliae, ubi in lu-  
 cem editus est d. 23. Octobris anno seculi proxime  
 elapsi nonagesimo nono. Quae regio licet homi-  
 num eruditorum non adeo ferax praedicari possit,  
 non destituitur tamen exemplis, quibus probetur,  
 viros doctrinae & ingenii laude insignes ubicumque  
 nasci. Quid memorem maximum suae aetatis virum  
 Alexandrum Hegium, Westphalia oriundum, quem  
 praeceptorem habuit immortale illud Bataviae nostrae  
 ornamentum Desiderius Erasmus; de quo id ad sum-  
 mam laudis dixisse sufficiat, Hegium ad exemplum  
 magistri sui Rudolphi Agricolae, qui Musas Graecas  
 Germaniae primus intulit, easdem etiam in Belgio  
 nostro primum quasi intermortuas resuscitasse, atque  
 ex ejus ludo literario, quem Daventriae moderaba-  
 tur, non nisi meros, veluti ex equo Trojano, pro-  
 diisse heroas. Quid Conradum Goclenium, natales  
 suos Westphaliae etiam debentem, Academiae Lova-  
 niensis quondam praecipuum decus, ejusdem Erasmi  
 familiarem, eoque judice utriusque linguae ad unguem  
 doctum, & mirificum tam ligatae quam solutae ora-  
 tionis scriptorem, atque inter primos eruditionis  
 proceres habendum; Quid denique Hermannum Bu-  
 scium, quem inter hos literarum Triumviros, qui  
 West-

Westphaliae debentur, a felicitate pangendi carminis, ab ingenio, lectione varia, acrique in scribendo iudicio idem Roterodamensis in Ciceroniano suo praedicat.

Si parentes spectemus, e quibus vitalem lucem noster hauserit, non habet sane Siebenius, quod de fortunae malignitate atque infeliciori nascendi forte queratur: Quamquam & genus & proavi, & quae ipsi non fecimus, nostra habenda non sint, illique demum censendi sint eximii & illustres viri, qui nobilitatem suam magis a virtute quam longa imaginum serie commendant, & quibus non adeo famam atque ornamenta laudis conciliarunt majores, quam ipsi parentibus; licet nec temere etiam haec fortunae munera & stirpis avitae decora procul habenda aut contemnenda sint. Patrem habuit Aegidium Siebenium, lucri potenti Deo Mercurio in urbe Creveldia feliciter operantem, qui licet literarum studia ipse secutus non fuerit, inter suos tamen cives vir erat & fortuna & integritate spectabilis, & qui cum in filio suo ingenium videret artibus liberalibus & disciplinis ingenuis capeffendis idoneum, nullam curam, nullosve sumtus adhibere neglexit, ut per doctrinam promoveret vim naturae insitam, utque a teneris puerile ingenium literarum studiis adfuesceret. Hoc vero patre, postquam ex phthisi per aliquod tempus decubuerat,

anno seculi hujus vigesimo ac septimo orbatus est. Matre genitus est Petronella Gressnich, filia Cornelii Gressnich, Judicis atque aerarii quaestoris civitatis Duisburgensis in Ducatu Clivenfi, atque Henricae Heusdeniae. E genere paterno fratrem habuit unicum Matthiam Siebenium, duasque sorores Tabaeam & Margaretham, quarum prima in thorum Johannis Hagenbergii, apud Meursanos caussarum patroni, concessit, eoque orbata secundis nuptiis juncta est Gabrieli Schoppelenbergio, cui apud Clivenses commissa fuit Cursorum publicorum cura. Altera vero in matrimonio habuit Henricum Raar, vigilantissimum in urbe Creveldia mercatorem, hominemque a Musis minime alienum. Binas etiam amitas coluit Elisabetham Siebeniam, felicibus avibus nuptam Abrahamo Pullio, cui supervixit, & Catharinam Siebeniam, quam thalami sociam nactus est Johannes Hauserus; qui duo fratres adfines mercaturae etiam commerciis apud Creveldenses floruerunt. Ex matris vero fratribus ac sororibus, qui omnes innupti innuptaeque obierunt, ultima numero Sophia Gressnich, habitavit Duisburgi, ubi diem clausit supremum mensis Martii die 16. anno hujus seculi sexto & vigesimo. Matrem vero ipsam amisit anno seculi hujus septimo, d. 4. Decembris; quae quia cum virium inbecillitate ac taedio morborum haud parvo vitae tempore conflictabatur, hinc primam



mam pueritiam egit in aedibus avunculi Gulielmi ac materterae Sophiae Gressnich, qui pubertatem ejus tenerrimo amore aluerunt, nostrumque supremæ voluntatis tabulis hæredem scripserunt. In illorum etiam sinu dum educaretur, optimis præceptoribus traditus est, ac prima adolescentiæ spatia ingressus Linguam Latinam in Scholis Duisburgensibus addidit, ubi diligentia atque industria sua non tantum inplevit, sed & superavit spem, quam de eo puero plerique conceperant. Exacto tyrocini tempore Academiae Duisburgensis civibus adscribitur anno seculi hujus tertio decimo, ut mature illis inbueretur artibus, sine quibus ad vere eruditi hominis laudem aspirare numquam potuerat. Ut enim veteris aevi res gestas, & linguarum, penes quas omnis eruditio est, scientiam inbiberet, operam illic dedit Cl. Henrico Mascampio, Historiarum ac Linguarum Professore, atque ut severis studiis animum emendaret, Philosophorum hortos etiam lustravit, ibidemque sapientiæ præcepta hausit ex Clar. Jacobo Wittichio, quo postea in Leidensi Academia etiam præceptore usus est.

Videtis, A A, primum studiorum cursum felici ac prudenti pede ingressum Siebenium, ut prius ex aliarum artium ac scientiarum adparatu ea conquireret præsidia, quæ Justitiæ Antistitem aliquando egregie exornare possent; sive id genio suo indulgens, ac naturæ ductum secutus fecerit, sive salubribus  
alio-

aliorum consiliis ac monitis dociles praebuerit aures: Quamquam enim constituerat ad legum studia ac juris utriusque scita se praecipue conferre, non tamen ausus fuit in lotis manibus Divae Themidis sacra tractare, aut se vasto Jurisprudentialae pelago committere, antequam divite Linguarum Historiarumque comiteatu esset instructus, ac Sapientiae placitis pectus bene praeparatum munivisset. Averfabatur enim perniciosum illum seculi morem, qui plerorumque animos veluti pestilenti quodam fidere adflavit, qui, sive propria desidia abrepti, seu pravo parentum consilio obsecuti, spes suas ambitioni dantes ad studiorum vota properant, & cruda in legum scholas deinde & in forum propellunt studia, rarus sine foecundo Musarum ac literarum amoeniorum connubio sterilem & indotatam peti sponsam, atque ad tuendum egregii Jurisconsulti decus ac dignitatem, juvenilem aetatem severa lege Themidi initiandam esse, ac laborum gradus fieri debere, animosque sapientiae praeceptis ad altiora formandos esse. Cum igitur ab Historiarum ac Linguarum disciplinis auspicaretur studiorum primitias, quidquid in iis praeclarum eximiumque offendebat, id omne in futuros usus ad Juris notitiam transtulit: hinc magno animo ad Legum Romanarum scita deflectere coepit, atque in Jurisperitorum castris prima stipendia facere incepit sub auspiciis duorum Lycaeï Duisburgensis Antecessorum Caspari Theodori Summermanni, & Ever-

hardi

hardi Ottonis, quem doctorem dein liberalis illa & aequa ingeniorum judex Ultrajectina Pallas luculenter in sinu suo fovit, nunc post togam exutam amplissima Syndici dignitate ornatum sibi adseruerunt Bremenses. Ne tamen uno in loco omnia eruditionis subsidia comparasse videretur, postquam per tres annos in schola Duisburgensi Musis ac Themidi litasset, petendam sibi recte judicavit omnium foederati Belgii Academiarum celebratissimam, & magnorum hominum proventu semper fertilissimam Lugduno Batavam, ubi ut eodem pede, quo tam feliciter inceperat, strenue pergeret, in studiorum humaniorum adyta penetrare contendit, atque Ethicos Theophrasti Characteres explicantem audivit virum Literarum Graecarum laude florentissimum Jacobum Gronovium, magni illius Johannis Frederici filium, quem inter primos masculae eruditionis & sincerae Critices vindices merito veneramus; ibidemque ab ore docentis Patru mei Petri Burmanni sedulus pependit, cui studia sua non vulgarem in modum probavit: quibus elegantioribus disciplinis Arithmetices elementa sub ductu Celeb. s'Gravesandii adjungere eum non taedebat, tum et in Philosophicis ac praecipue Geometricis se exercere perseveravit sub Clarissimo Wittichio, artemque hanc, quam jurisprudentiae utilissimam aestimabat, licet a juris studiosis rarissime excolatur, cum penitiorae Latinae ac Grae-

C

Graecae literaturae cognitione copulavit. Sed quod instituto suo maxime favebat, ac supremae felicitatis summa erat, gloriabatur tunc alma mater Leidensis primariis illis eruditae Jurisprudendiae Triumviris & statoribus, Gerardo Noodtio, Antonio Schultingio, & Johanne Jacobo Vitriario, quorum ultimum, solum ex tribus his Justitiae Sacerdotibus insigni Academiae istius ornamento adhuc superstitem, diligenti & assiduo studio nec minore cum fructu secutus est, sive jus Germaniae publicum exponeret, sive juris naturalis praecepta traderet ex immortali illo de jure Belli ac Pacis opere Hugonis Grotii, quod nomen tam omnium cordatorum hominum praeconiis quam plebejarum animarum invidia majus est. Quam felices autem progressus fecisse, quam luculenta eruditae supellectilis incrementa sub caeteris illis Juris civilis praeceptoribus comparasse sibi Siebenium non existimatis, AA: cui tam beata vivere tempora contigit, ut in disciplinam traderetur ejusmodi virorum, quorum manu formabatur ac ducebatur ad amoena illa solidae jurisprudentiae vireta, quae illi ex limpido & perenni antiquae eruditionis atque humaniorum literarum fonte foecundabant, & è quibus fruges dapēsque, quibus famem affatim implere poterat, ipsi adponebant saluberrimas, non quales ignobile legulejorum ministrat vulgus, qui ipsi agresti cibo & plebejis panis



nis atrii reliquiis innutriti atque ab omnibus doctrinae copiis nudi & inparati sterile excolunt arvom, suosque alumnos vili hordeo aridoque foeno pascunt, fordidamque & effoetam anum pro cultissima ac formosa virgine amplecti insulso iudicio praeferunt. Hi nimirum per exempla magnorum illorum hominum Alciati, Cujacii, Budaei, Augustini, Hotomanni, Gothofredi, similiumque Heroum grassari maluerunt, atque ex inexhausto eruditionis penu, & linguarum Historiarumque adparatu, tum antiquitatum & Critices ope nobilem & ingenuam Legum Romanarum disciplinam ex lateritia auream reddere, atque ex opimis his deliciis fercula sua instruere, quam dura & male digesta querneae glandis pabula cum Azone, Accursio, Bartolo vel Baldo ructare. Hi contractam illam & jejunam compendiariae jurisprudentiae institutionem certissimum ad ignorantiae & desidiaie naufragia scopulum ac vorticem esse credebant: Hi ingratum & infructuosum in docendo usum esse existimabant, non nisi varias & dissentientes diversorum interpretum opiniones enumerare ac congerere; tum nodosas controversias, quarum numerus iniri non potest, ac longe arcessitas quaestiones patienter componere ac conciliare, infiniti ac non profuturi operis rem esse iudicabant, & ad quas dirimendas si in auxilium advocaretur aliquis Hercules, tertium decimum sibi laborem exantlandum

videret. Neque etiam ab alia parte in tractando jure Romano putido nimis & adfectato molimine, atque intempestivae eruditionis febriculosa ostentatione circa res frigidas aut inutiles haerebant, ut vano conatu se antiquarios ac literatores venditarent, sed rerum frugalitate, rationum pondere ac veritate, felicitis ingenii acumine, solido et oportuno doctrinae adparatu; tum ex rituum veterum & antiquitatum notitia, fidisque Historiarum omnis aevi monumentis, maxime etiam ex ipsorum Jurisconsultorum antiquorum placitis ac stylo, denique & perpetuo linguae utriusque usu & elegantissimis, vetera Jurisprudantium oracula atque universi juris reliquias & volumina insigni luce perfuderunt atque illustrarunt; tum librorum oscitantia depravatis ac situ temporis corruptis legibus salutarem adtulerunt medicinam, non voce tantum publica, sed & scriptis cedro dignissimis & apud seram posteritatem perennaturis. Sub ductu igitur & auspiciis illorum virorum, penes quos Juris Romani principatus tunc erat, cum feliciter cresceret, singulisque diligentiam & industriam haud vulgarem probaret, non potuit non uberrimam messem seges laeta ac luxurians promittere. Postquam enim indefessa contentione ac labore assiduo spatia Academica esset emensus, et jam ad studiorum metam felici cursu pervenisset, examini trium illorum Jurisprudenciae Antistitum se subjecit,  
fac-

factisque a celeberrimis illis viris periculis, quibus eleganti et docta interpretatione in specimen operae juris ac Legum studio navatae explicavit Leg. 9. ff. de Condict. furtiv. et Leg. 4. Cod. de Actio- nib. emt. et vend. inter Candidatos Juris nomen suum professus est. Iis autem praeceptoribus quam non tralatitium in modum satisfecerit, inde praeci- pue colligere potestis, quod non tantum honorifi- centissimis, quae bene meritis Musarum ac Them- idis cultoribus dari possint, eum ornaverint testimo- niis, quibus illum summa alacritate ac vigilantia non tantum strenuam civili jurisprudentiae operam na- vasse, sed longe ultra vulgarem modum in eadem progressum fuisse, omnesque industriae singularis cum modestia conjunctae numeros inplevisse profi- tentur, ut non vano augurio conjicerent, eum rei literariae insigne aliquando ornamentum exstiturum esse. Quin etiam cum ab eo tempore jam alios eru- dire & juridicas scholas privata institutione aperire inciperet, eum in apertam potius lucem protrahen- dum censuerunt, ac publico theatro, in quo ingenii ac doctrinae copias explicare posset, inponendum esse judicarunt, unde & saepissime ad stationem Aca- demicam, in qua publica auctoritate Juris Discipli- nam profiteretur, ipsi deferendam Maecenatibus ac Literarum fautoribus de meliore nota Siebenium commendarunt. Neque etiam defuit benignae huic



voluntati et meritissimae , quam de eo sagaces illi ingeniorum exploratores conceperant , opinioni ac iudicio prosper et fortunatus successus , quo praemia in eum collata sunt , quae illius virtuti ac doctrinae debebantur. Postquam enim per sexennium Leidanae Palladi operatus esset , ei adhuc juveni , cum annum aetatis vigesimum & tertium ingressus esset , mense Novembri anno hujus seculi vigesimo secundo offertur in Gelrorum Academia Harderovicensi Historiarum , Eloquentiae , & Linguae Graecae Professio , quae Clarissimi Viri Johannis Conradi Rungii ad Academiam Franequeranam discessu vacabat ; quem honorem commendatione sua ipsi conciliaſſe Patrum meum , eoque nomine haud parum ei se debuisse , grato animo saepe praedicantem Siebenium me audivisse memini.

Discite ex praeclaro hoc exemplo , egregii juvenes , sacrata Musis ac Themidi pectora , quos nobilior incendit ardor , quanto tempore & quam indefessa animi contentione ad studiorum stadia legitime decurrenda opus sit , cum per tres annos in Duisburgensi , per sex annos in Leidensi Academia haeserit , totumque adeo novennium curriculo Academico rite conficiendo insudaverit Siebenius ; illisque , qui regio & a summis viris calcato tramite incedere , & hac via ad gloriae fastigium adspirare contendunt , sensim ac lente progrediendum , & non tam-

tamquam canes è Nilo festinandum esse , sed per gradus & incrementa ad studiorum metam pedetentim quidem, sed uberrimo tamen cum fructu, perveniendum esse. Musas enim fingunt Poëtae tenere excelsissimi montis Parnasi verticem , quem qui properanter nimis ac temerario inpetu conscendunt , furcillis detruduntur ab iratis Virginibus ; at qui prudenter & generoso conatu in illum eniti , et non nisi post varios labores exhaustos culmen superare conantur , a castis ac placidis his puellis earumque praeside Apolline locum in ipso montis cacumine in laborum praemium etiam in primo juventutis flore ultro accipiunt ; unde docemur quascumque disciplinas et scientias sensim et quasi guttatim instillandas , ac deinde in bene praeparatum pectus quasi flumina eruditionis infundenda esse , ut penitus inundetur. Hac arte semper enisi veri literarum Heroës , qui doctrinae gloria aeternitatis arcem adscenderunt , haec omnium vestrum , quicumque vel ingenii dotibus , vel eruditionis laude celebrari , ac patriae , Ecclesiae , vel Academiarum ornamenta fieri aliquando desideratis , mens esse debet.

Quum Professionis Harderovicensis provinciam oblatam laetus alacerque amplexus esset , non diu post Academiae Batavae Professores ultro et remissa Disputationis publicae necessitate , ipsum honoris causa decoraverunt diplomate supremae illius laureae

ac

ac dignitatis, quae conferri solet in illos, qui legitima in Academiis fecerunt stipendia. Hoc titulo atque honoris gradu maectatus sequente anno in Sygambros lares suos transtulit, novaeque stationis prima exordia d. 14. Junii anno vigesimo tertio hujus seculi, sollempniter auspiciatus est egregia Oratione *de studii Historici utilitate in Jurisprudencia*, qua gravissimis argumentis id egit, ut individuum scientiarum illarum connubium adsereret, ac doceret, non tantum obscuras legum tenebras Historiae veteris lumine illustrandas, totumque Romani juris studium praecipuam Historiae antiquae partem esse, sed & nullas Jurisprudenciae partes, sive naturae jura spectemus, sive gentium instituta, sive juris civilis scita, aut intelligi a quoquam, multo minus aliis tradi posse, sine uberrima Historiarum omnis aevi cognitione, omnesque, qui hac scientia destituti sunt, species tantum & umbras Jurisconsultorum sine corpore esse, neque reipublicae regendae, aut dijudicandis litibus, vel caussis perite ac dextre agendis idoneos esse. Belli pacisque jura, quibus legum naturalium continetur notitia, ex fidissimis annalium monumentis optimo cum fructu explicari ac probari: Nullas denique leges, sive rectae rationi, sive plurimorum populorum placitis, sive supremae in Republica Majestatis auctoritati originem debeant, ab ullo, qui Jurisconsulti nomen cum decore sustinere velit,

ex-

explicari aut rite percipi posse sine adjumentis illis, quae ex Historiarum penu comparantur; ut nihil jam dicam de tot legibus ex Juris Romani Corpore atque utroque Codice, quae sine artis hujus doctrina exponi aut emendari non posse nemo nescit: argumento sane & personae, quam profiteri suscipiebat, & rationi, quam ipse in studiis elegantioribus legumque disciplina semper secutus fuerat, convenientissimo. Noverat enim optime, usuque ac rebus ipsis probe didicerat, quanta ex Historiarum scientia reliquis artibus omnibus, praesertim vero Jurisprudentiae, ornamenta suppeditentur, eosque, qui scientiae hujus expertes sunt, nihil ex iis rebus, quae aut ad vitae privatae usum, aut ad humanitatis cultum, vel denique ad publicae rei incrementum pertineant, intelligere; frustra que aliquem, etiamsi felicissima judicii & ingenii dexteritate omnibus fere aequalibus suis antecellat, existimationem & auctoritatem apud cives suos habere adniscurum, nisi ex iis quae aliquando facta sunt, animum ad varios vitae casus erudierit, eaque quae efficere contendit, ex praeteritarum rerum similitudine instituerit, ac de futuris rebus ex eventu anteaetarum consilia & conjecturas ceperit. Evellere ex animis nonnullorum perversum illum conabatur morem, quo praepostere studia sua illi instituire adgrediuntur, qui temporum & rerum memorabilium cognoscendarum cupiditate abjecta,

D

statim



statim ad graviores disciplinas adripiendas inparati & inexercitati properant ; contra vero probare ac persuadere conabatur , illud altae ac generosae indolis documentum esse , mortale aevum , quod miseranda humanae vitae conditione exiguis & brevissimis circumscribitur spatiis , cognitione ac scientia omnium seculorum in longissimam antiquitatem protrahere , et quod nobis solum licet , mente ac cogitatione originem nostram ab ipsis mundi incunabulis reperere. Denique et Historiarum studium , si sapientiae praecepta , Jurisperito adeo necessaria , contemplerur , nihil fere aliud esse , nisi virtutum et vitiorum perspicuam ac diligentissimam demonstrationem , Historiarumque scriptores omnis civilis ac moralis doctrinae optimos esse magistros , neque melius profecto justitiam , continentiam , temperantiam , fortitudinem , ipsamque etiam pietatem , adeoque omnes quae hominem exornant ac condecorant virtutes , saluberrimis et sanctissimis Philosophorum sententiis celebrari et extolli quam ab Historicis posse , aut facilius animos hominum ad praeclara sapientiae studia Socraticis praeceptis ac monitis informari , quam si Illustrissimorum virorum exempla et res gestae oculis et mentibus eorum subjiciantur. Sed facta hujus Orationis mentione sentio me paulatim abripi in illius , quam profitemur , doctrinae laudem , quae cum sua ipsius utilitate ac dignitate

tate satis se omnibus probet, nostra commendatione non indiget.

In Academia Harderovicensium Gelrica, ut eo revertamur, non minore cum nominis fama, quam eruditionis, diligentiae et industriae laude omnes publici Professoris numeros inplevit, neque umquam, quantum per vires valetudinemque licebat, officio suo, sive quod ad privatas scholas sive quod ad publicas Recitationes adinet, sedulus defuit. Supremo etiam Rectoris Magnifici Magistratu cum fungeretur, eum ita gessit, ut & dignitatem & incrementum Academiae omnium rerum primam sibi curam esse ostenderet, ejusque honoris fasces anno hujus seculi vigesimo quinto deposuit, recitato publice elegiaco carmine *in laudem poëtarum Principis Homeri*, quod si exstaret publice, aut in doctorum hominum manibus versaretur, non vano augurio conjicimus, persuasurum esse omnibus, quam bene Musas inter Themidemque conveniat, & quam felici omine Jurisconsulti in Poëtarum castris nomina sua profiteri, atque injucundam saepe artis suae severitatem & asperitatem Musarum suavitate ac Poëtices dulcedine temperare atque exhilarare possint. Praeter has vero Orationes sollemniter habitas semel atque iterum etiam extra ordinem in publicum prodiit, non contentus Eloquentiam profiteri aut Oratorem agere, quando muneris Academici necessitate ad dicendum

pro concione cogebatur, sed & ultro nulla lege aut more compulsus praevia oratione publicas Recitationes saepe auspicari solebat: hinc nata est non inficeta ejus Oratio *pro Adulatoribus*, quam anno hujus seculi quarto & vigesimo d. 27. Septembris, Hardevici habuit, cum post exactas in otio literario ferias aestivas ad Disputationes publicas rediret. Tum altera, quam *Sermonem Academicum* inscripsit *pro Troja capta*, recitata d. 25. Septembris anno hujus seculi vigesimo septimo, cum Homerum publice exponere inciperet. E Graecis scilicet Oratoribus veteribus refellendum sibi hoc Sermone proposuit Dionem Prusaeum, a melleae eloquentiae suavitate, atque aurea oris facundia, Chrysofomum dictum, inter cujus Orationes disertissimas undecima *Troica* inscripta agit *de Ilio non capto*, qua sententiam de captivitate Trojae, tot seculorum tractu confirmatam, tot testibus fide dignissimis munitam, omniumque hominum consensu verissimam, ad ostentandas Eloquentiae vires in dubium vocare ac convellere, Homerumque ipsum ut fabulae hujus auctorem nugarumque architectum conviciis proscindere non erubuit Dio Chrysofomus, sed cujus argumenta rhetorum ac declamatorum in modum magis exaggerata, quam ad veritatis Historicae lancem expensa, docte ac sollerter hac Oratione refutavit.



Stationem hanc publicam dum exornaret, rebus ipsis expertus est Siebenius, nihil viro erudito molestius magis, quam rem domesticam curare, noveratque optime, eos, qui in culina habitant, ut ait Petronius, sicuti non bene olere, ita etiam nec sapere posse. Itaque coelibis lecti & frigidarum noctium taedia cum jucundissima thalami ac vitae focia commutare cogitavit, cui minores, sed necessarias tamen, negotiorum domesticorum curas committeret, ratus viris literatis nihil oportunius, quam morositatem illam, quam de die ex studiis severioribus contrahunt, de nocte in blandae conjugis sinu deponere & abstergere, a qua vitae dulcedine nec ipsi ex austero Stoicorum grege abhorruerunt sapientes, quorum nemo sane tam severus ac tristis fuit, qui non barbam ac supercilium suavissimis uxoris amplexibus submiserit. Ad legitimum igitur castique matrimonii foedus cum animum adjungeret, thori ejusdem consortem nactus est virginem iis dotibus, quibus exornatur hic sextus, commendatissimam Corneliam Mariam de Moor, quam domum dixit d 15. Martii an. 1724. filiam Clarissimi Viri Bartholomaei de Moor, primum in Groningana, deinde in Harderovicensium Academia Medicinae Professoris; & Corneliae Immerzeelae, ex Consulari apud Goudanos familia originem ducentis. Hunc vero Socerum suum, cujus stirps ac soboles eadem in urbe jam a multis retro annis variis muneribus

bus defuncta est, vel adhuc dignitate non una atque honore fungitur, anni ejusdem mense Junio vita orbata, cum Harderovici terrae mandaretur, prolixo programmate exsequiali, dum fasces Academicos gereret, jussu Senatus celebravit pius gener Siebenius, quia ne justa funebri Oratione sibi parentaretur, ipse ante mortem praeceperat. Socrum vero Immerzeeliam amisit quadriennio post, Goudae tunc habitantem, & in urbe patria tumulo conditam. Hanc Corneliam Immerzeeliam eo libentius hic memoramus; quia ex eadem gente celebris ille literarum humaniorum ac Medicinae apud Harderovicenses Professor Theodorus Jansonius Amelovenius vinclo jugali sociatam sibi nactus est sponsam Alettam Catharinam Immerzeeliam, filiam unicam Viri Amplissimi Jani Immerzeelii, gravissimi quondam Consulis Goudani, hujus Corneliae avi. Ut ad nostrum revertamur, de connubio hoc optato non habuit sane, quod quereretur, se in pulvere, ut cum poëta loquar, fulcos duxisse, aut sterili aratro litus infoecundum versasse. Ex hac enim uxore, rari exempli matrona, quae nunc optimo marito orbata viduitatem suam luget, filios tres sustulit, qui dulcissima parentum vota, ac certissima amoris conjugalium pignora sunt. Eorum natu maximus, Aegidius ex avi nomine dictus, foetus vitalis non fuit, sed quarto die, ex quo in lucem editus fuerat, expiravit,

ac

ac spes parentum elusit. Alter, quem superstitem coram hic videmus, juvenis optimus & egregius Musarum nostrarum alumnus, Bartholomaeus Siebenius, patrem nobis aliquando redditum iri promittit, a cujus ingenua indole auguramur spem nobis superesse eorum omnium, quae in parente amisimus. Tertius Aegidius, qui simul cum fratre orbitatem suam hic testatur, in tenera aetate jam literis tinctus nihil non praeclari de se pollicetur.

Quum per octennium Harderovicensem Academiam exornasset Siebenius, annus agebatur hujus aevi trigesimus, quo tempore de Musis & bonis artibus, quae post celebris illius Petri Francii obitum primo languere, dein tabescere inceperant, tandem etiam per aliquot annos penitus ex hac urbe migraverant, ab exilio revocandis & in pristinam sedem postliminio restituendis sapientissimo & numquam satis laudando consilio cogitare inceperunt civitatis hujus Magnanimi Proceres atque Amplissimi Magistratus, qui moliebantur hanc ingeniorum ac scientiarum aedem diu nimis clausam, denuo aperire, ne Pallas inde ejecta antiquam Mercurio possessionem redderet, sed in qua Diva Themis Musis comitata iterum collocaretur. Nihil enim ad florentissimae urbis hujus incrementum ac decus, nihil ad felicitatis summam desiderari amplius videbant, quam recludere liberalium artium officinam, in qua liberi sui, juven-  
tutis

tutis flos illibatus , & civium aliorum soboles , literatum sacris initiarentur , atque in sinu & oculis parentum ad severiores formarentur ac praepararentur disciplinas , unde matura magis aetate ad Academias majore cum fructu dimittantur. Neque diu etiam nobile institutum morabatur eventus. Referatur felicibus auspiciis illustre Palladium , & prudenti delectu conquiruntur viri eruditione insignes , quibus in Athenaeo instaurato Musarum salus tuto committi posset. Ut vero literis humanioribus , unicis omnium scientiarum fundamentis , inbueretur juvenus , Lycaeo huic vindicarunt virum utriusque linguae & Poëtices laude insignem Jacobum hunc Philippum D'Orvillium , ex eruditis peregrinationibus reducem , qui reclusum bonae Mentis domicilium denuo praeclaris artibus dicaret , Pallademque cum Musis ex fuga retractas exciperet , & pristinae sedi adfereret , earumque aras collapsas & extinctos focos in hoc templo novus sacerdos erigeret rursus atque adoleret. Ut vero post navatam ea , qua par est , industria Musis operam , ingenuis adolescentibus etiam in Divae Themidos aede limina non tantum aperiri , sed & ipsa penetralia pandi possent , ex Academia Hardevovicensi arcessitur Cornelius Siebenius , qui , modos praeunte hoc Musarum Mysta , sociatis cum eo viribus in commune consuleret , ac propitio omine Deae omnium integerrimae Justitiae sacra libaret , ejusque  
domus



domus postem teneret. Stationem hanc conditionibus haud spernendis oblatam promptus alacerque amplectitur, atque ex Gelrorum Academia, ex qua salutari consilio, ut majorem huic Lycaeo splendorem conciliarent, eum evocandum censebant bonarum artium Statores ac Maecenates, ad Illustre Amstelaedamensium Athenaeum migravit Siebenius, novaeque provinciae sollemniter inauguratus est d. 3. Julii an. 1730. habita elegantissima Oratione, *de studio Graecae Linguae cum Jurisprudencia conjungendo*; argumento sane & literis illis, quas huc usque professus illic fuerat, & disciplinae, quam hic profiteri auspicabatur, valde oportuno. Quemadmodum apud Harderovicenses, cum Literarum humaniorum provinciam capefferet, Historiarum & Jurisprudenciae connubium stabile ac proprium prima Oratione vindicaverat; ita nunc, quum apud nos Juris studio, cui a prima aetate vigilias suas praecipue sacraverat, redderetur; nihil utilius se facturum existimabat, quam si Graecae eruditionis ac linguae intelligentiam, licet a plerisque vel penitus negligatur vel leviter tantum delibetur, tam arto tamen vinculo cum legum Romanarum disciplina conjunctam ac copulatam esse ostenderet, ut altera alterius ope non tantum indigeat maxime, sed & eximia quaevis ornamenta conciliet, fructusque felicissimos suis cultoribus proferat. Nimirum juventuti, quae disciplinae suae jam tra-

E

denda

denda erat, persuadere conabatur, in ipso Pandectarum Corpore plurima non tantum reperiri vocabula, quorum origo ex fontibus Graecis derivanda sit, sed & totos loquendi modos, qui Graecis debentur. Quot Hellenismi in antiquorum Jurisconsultorum Papiniani, Ulpiani, Modestini, aliorumque scriptis frequenter occurrant, qui neglecto & posthabito hujus linguae studio vel omnino non explicari aut perperam intelligi possint; quot non supersint Principum rescripta vel Prudentum responsa, ipsaeque adeo novae Justiniani Constitutiones, quae Graece conscripta haud infimam juris Romani partem constituunt. Quot non Interpretes e veteribus Jurisconsultis Graecis fuerint, qui Institutionibus, Digestis, ac Codici in suam linguam vertendis utilissimam impenderunt operam, quorum auxilio multa in iis loca adfecta sanari, & obscura illustrari posse nemo ignorat.

Ite hinc inanes Compendiariorum Doctorum manipuli, turbaque rore non Achaico inflata; Ite hinc Scholastico pingui madentes magistri, vana juventutis cymbala, qui vestro ductu, vestris auspiciis, sine linguarum eruditarum cognitione, aut difficili illa & longa Historiarum Antiquitatumque ambage, minus arduam, minus sumtuosam, sed planiorem ac breviorum, idest ignaviae & inscitiae commodiorem, ad divae Themidos delubra patere viam, inperitis ac credulis venditare adolescentibus non veremini!

Prae-

Praeter hanc Orationem plus semel ex hoc suggestu publice dicentem Siebenium audivistis, A A: & quidem sponte sua, etiamsi nulla eum cogeret necessitas. Biennio enim postquam hic publici Legum Doctoris partes cum laude sustinuisset, d. 13. Octobris anno hujus seculi trigesimo secundo, quum de Jure Majestatis ejusque origine publice disputare inciperet, ex eadem hac cathedra strenue ac viriliter *Justitiae* causam propugnavit *contra Carneadem*, Philosophum illum & Oratorem, cujus tanta à veteribus praedicatur fuisse Eloquentia, ut nullam causam etiamsi iniquissimam defenderit umquam, quam non persuaderet ac probaret; nullam licet justissimam oppugnaverit, quam non refutaret & everteret, quibus Eloquentiae dotibus abusus in Justitiam, omnium virtutum nobilissimam, graviter invectus fuit, eamque nullam omnino esse, aut si qua sit, summam stultitiam esse non minori eloquii facultate quam oris impudentia contendere adnissus est eo tempore, quo simul cum eloquentissimis Philosophis Diogene Stoi- co ac Critolao Peripatetico Romam missus esset ab Atheniensibus, ad deprecandam ingentis pecuniae multam, quam iis propter vastatos Oropiorum fines inposuerant Sicyonii, a Romanis in hac causa judices electi. Id enim dum ageret Carneades, & ab hac paena Athenienses dicendi promptitudine atque eloquentia sua liberaret, fertur ad ostentandas Suadae



suae vires primo die coram Galba ac Catone Censorio, praecipuis illius aetatis apud Romanos Oratoribus, diserte admodum pro Justitia disseruisse, sed postridie omnia illa, quae pro virtute hac prius disputaverat, ita in contrarium torsisse ac subvertisse, ut Astraeam, pridie mortalibus adsertam, quasi e terra penitus iterum fugasse, atque in exilium eiecisse videretur. Contra hunc vitio creatum, licet facundissimum, Oratorem in aciem hac Oratione progressus est Siebenius, eumque profligavit tantâ argumentorum gravitate & pondere, tanta rerum copia verborumque elegantia, ut merito inter omnes ejus Orationes haec agmen ducere a peritis rerum arbitris censeatur.

Nec minorem apud vos tertia Oratione laudem consecutus est, quam anno seculi hujus trigesimo nono a. d. 26. Octobris publice habuit, qua *de Jure Principum in remittendis delictorum poenis* disseruit, ac disquirat, num Princeps pro lubitu suo delicti gratiam facere possit, ubi jura temerata esse constet, & an justissima supplicia, quae criminibus commissis leges divinae ac civiles constituunt, tollere vel mitigare, reumque impunitum aut levius castigatum dimittere; facinoribusque, quae puniri eadem jubent, quia societatem humanam laedunt ac violant, veniam ultro dare in Principis manu & arbitrio sit, idque illius inconsultae temeritati & ambitiosae libidini permittere,

ex

ex utilitate Reipublicae vel populi, cujus salus suprema ei lex esse debet, statuendum fit: quae omnia tam sacri codicis auctoritate & ex juris naturalis rectaeque rationis dictatis, quam civilis praeceptis, docte & solide negavit, idque tanta modestia, atque argumentorum veritate, ut illis ipsis, qui non lubenter eo tempore imaginariam hanc Principis potestatem infringi ac contundi videbant, ut dominorum suorum ambitioni nihil non dare solent obnoxia aularum mancipia, ruborem expresserit haec Oratio, adeo ut rationum pondere convicti eam sub moderatae Orationis titulo laudantes non obscure proderent causam desperatam, neque in armariis suis tela superesse, quae in ejus auctorem ejacularentur, taciti, licet invitati, faterentur. Quartam his adjungere in animo habuerat, nisi obstitissent fata, qua eodem hoc anni tempore publice pro concione adserere constituerat, *Confessiones criminum per quaesturae cruciatus, eis non extorquendas esse*, argumento tot scriptis discusso. Sed & hunc ultimum viri praeclari conatum, ut & alia, quae moliebatur, intempestiva inpediit mors, quae, dum id meditaretur, inportunam ipsi injecit manum. Verum rogantes vos, idque non inmerito, audire mihi videor, AA: an praeter publica illa, quorum recensum egimus, diligentis & industrii Professoris specimina, quibus spartam sibi demandatam exornare & celebrare apud suos togati solent, nullis

aliis eruditionis monumentis ac scriptis in lucem productis, quibus in Republica literaria & apud externos inclarescere magis solent viri docti, ac Lycaeii illius, in quo bonas artes et scientias profitentur, famam augent ac proferunt, nomen sibi comparaverit, & viri eruditi laudem titulumque promeruerit. Edidit sane non contemnendos doctrinae minime vulgaris fructus, qui licet pauci numero sint, satis tamen ostendunt, quantum in hoc studiorum genere posset, adeo ut ex iis Siebenium, veluti ex ungue, ut dicitur, Leonem agnoscere & aestimare, justumque eruditioni ejus pretium ponere possimus: & si valetudinem, dum viveret, integram firmamque ipsi largiri, vitamque longiorem producere supremo rerum humanarum arbitro visum fuisset, dubio procul plura, & longe majora nobis dedisset.

Quemadmodum autem Graecae literaturae studium Jurisprudentiae veteri semper felici cum successu sociaverat, ut abunde ex iis, quae supra diximus, colligere potestis, ita Graecis praecipue auctoribus, & Jurisconsultorum Graecorum reliquiis curas suas ac lucubrationes ante omnia inpendebat. Ex poetis Graecis Apollonii Rhodii Argonautica, ac doctissimum ejus Scholiasten, multis in locis optime emendaverat, ac bonae frugis notis dedita opera illustraverat; tum magni illius Etymologici Graeci Auctorem utilissimum, sed qui depravatus valde nunc circum-

cumfertur, omnibus fere paginis manu sua castigatum reliquit, doctisque animadversionibus refertum, quarum diversa cum publico communicavit specimina, in elegantissimo illo Observationum Miscellanearum opere in veteres & recentiores Auctores, quae ab eruditis Britannis in Anglia inchoatae, a doctis in Belgio aliisque regionibus viris continuantur, atque in hac nostra urbe, ingenti rei literariae ac Critices bono in publicam eduntur lucem, quibus etiam inferuit notata in Aristophanis Scholiaften, atque Observationum Criticarum specimen in Michaelis Pseli Synopsin Legum, versibus Jambicis & Politicis Graece scriptam, quam post Francisci Bosqueti Narbonensis Jurisconsulti editionem corruptissimam interpretationemque minime felicem, in animo habuerat & jam paraverat auctiorem emendatioremque emittere. Deinde luculentum illud Basilicorum opus, & Justiniani novellas Constitutiones passim, ubi Graecus eorum textus habetur corruptus, mendis purgavit, tum Harmenopuli Promptuarium Juris, instituta cum Basilicis ac Theophilo collatione, diligenter variis in locis correxit: Sed prae caeteris tamen manum ejus medicam expectaverat Theophili Graeca Institutionum Paraphrasis, quam ad vetustiores editiones, Viglianam, Parisiensem Christiani Wecheli, Lovaniensem Rutgeri Rescii, Tornaesianam Ludovici Miraei, Gothofredi Genevensis,

&



& utramque Fabrotti Parisinam, adcurate conparaverat, notisque illustratam aliquando cum erudito orbe communicare cogitaverat; sed quibus praeclaris inceptis, quae sane paucorum hodiernorum Jurisconsultorum humeris convenire nemo rerum gnarus negabit, quaeque omnia non vana jactatione, sed oculata Codicum ipsorum lustratione nobis exhibita ac probata adfirmamus, continuas moras atque impedimenta iniecit sive cunctatio, quam illis, qui magna moliuntur ac non vulgaria parturiunt, propriam esse vulgo dici solet, sive potius infirmior & adversa, quacum semper fere colluctabatur, valetudo, denique & conatus hos penitus abruptit literis melioribus fatalis Viri obitus; ad quem enarrandum sentio me jam prolapsam, eoque properare me tempus jubet, ut simul & vocis meae & patientiae vestrae rationem habeam.

Valetudine jam plures ante annos erat saepe admodum infirma, quae subinde eum lecto adfigebat, quaeque non uno morborum genere sensim magis ac magis deterebatur, partim per cruciatus pedum haud modicos, intestinorumque dolores, partim per crudelem illum tot hominum eruditorum, qui ex vita sedentaria id malum plerumque contrahunt, & inmitem carnificem calculum, quosque omnes vis quaedam melancholica comitabatur; morbus ille, qui maximis & acerrimis ingeniis saepe obtingit, ac  
 si

si fides habenda sit principi illi ex antiquis Philosophis rerum naturalium scrutatori, non tantum vatibus mentem eripere credebatur, sed & prae caeteris eximios in quibuscumque artibus, omnique studiorum genere praestantissimos efficere viros. Haec mala cum saepius eum infestarent, atque identidem recrudescerent, corporis vires ipsi adeo adtenuarunt, ut in firmata viri robusti aetate jam senectutem prae se ferret. Quam diu tamen animus vigeat, partes sibi demandatas minime deseruit; sed & tunc quoque domestica ac publica munia diligenter obibat, cum corpus labori aegre sufficeret. Tandem hac ipsa aestate, cum a publicae stationis officiis immunes feriabamur, per otium illud curandae ac confirmandae valetudini penitus vacare, viresque collapsas aëris & coeli serenioris salubritate refocillare constituerat. Sed aliter visum fuit supremo vitae humanae Moderatori. Cum enim pristina mala depuo ingravescerent, atque in dies morborum vis glisceret, frustra tentata nunc hujus nunc illius Aesculapii ope, non annis defectus sed desertus viribus, quae nulla medicamentorum praesentia recolligi poterant, & ex intestinorum inbecillitate adcedente profluvio alvi, paulatim extenuatus ac consumtus placida morte exspiravit, animamque Deo Creatori reddidit d. 14. mensis proxime elapsi, circa sextam matutinam, postquam fere implevisset annum aetatis quartum & quadragesimum: cadaverque Goudam, ut ipse voluerat, Terrae Matri mandandum, delatum est. E                   Ite

Itē nunc mortales , & vel juvenilis vel robustae aetatis viribus fidite , ac magnarum cogitationum vota in longos annos fingite vobis & protrahite ! Dum magnos animos gerimus , dum coepta ingentia atque audacia molimur , nostra versatur urna , atque ante exspectationem fors exit , quae nos in aeternum exsilium fatali illi cymbae inponit , atque omnibus praeclaris & superbis ausis ultima illa ac decretoria hora funestum inponit finem . Fuit igitur Siebenius , atque hinc in perpetuum abiit , non visurus nos posthac , neque in his terris amplius videndus nobis ! Qui sat diu vixisse censendus est , quoniam superstes doctrina ac virtute sua laudem non intermorituram comparavit ; parum vero vixit , si spectemus desiderium illud , quod huic Athenaeo , ejusque alumni , quod desolatae viduae , orbatis his filiis , moestisque consanguineis , & amicis omnibus reliquit ; nimis autem diu vixit , si vitae incommoda & adversa , morborumque injurias , quibus vexatus est , respiciamus . Sed si memoriam ejus cogitamus , quae propter viri eruditionem ac merita in nostris animis spirat , vivit adhuc & diu victurus est . Ennius ille apud Romanos olim & carminibus & variae doctrinae laude inclytus , in suo , quod ipse fecisse creditur , Epitaphio voluit , ut nemo se lacrimis mortuum decoraret , aut fletu funera faceret , additque hanc causam , quia vivus etiam post  
obi-

orbitum, per ora hominum volitaret. Ne igitur inani luctu aut muliebri ejulatu funus ejus amplius prosequamur, quibus virorum dolor non egeritur. Sed gratulemur potius ejus felicitati, quâ tam leni ac placido cursu in aeternae quietis portum pervenit, atque in beatas illas sedes migravit, ubi & albi dies & horae serenae perpetuo decurrunt; ubi anima ejus ex hac faece hominum sublata, ac vinculis corporis soluta, semota a rebus nostris ac longe sejuncta degit, & felici illa perennitate fruitur: ubi nullis curis ac miseriis, nullis aerumnis ac calamitatibus, nullis morbis ac cruciatibus, quibuscum in sollicita ac caduca hac vita adeo luctabatur, & nos fluxi mortales quotidie circumfessi premimur, angitur amplius atque enecatur. Fruere igitur hac sorte, beate Siebeni, recepta coelo anima, ubi summa pax ac tranquillitas perpetua est: ubi vera Justitiae praecepta, cujus vix prima elementa hic discimus, agnoscere ac colere tibi datur, ubi nullas leges humanas, quas libido Principum figit ac refigit, sed aeterna coeli jura, & seculorum omnium atque universi hujus fata irrevolubilia discis ac propius intueris: ubi nullis hominum litibus ac rixis dirimendis in consilium atque operam advocaris, neque de quaestionum inanium tricis respondes, ubi nullus pupillus a tutore se circumscriptum aut duriter habitum apud te lamentatur, nemo se exhaeredatum



aut emancipatum queritur; sed ubi stabili ac perpetua haereditate gaudes cum omnibus illis, qui ejusdem haereditatis tecum participes sunt, & cujus perceptionem magnus ille humani generis Redemptor individuum praestitit ac confirmavit.

Jamque finem huic Orationi inponerem, AA: nisi & aliud adhuc mihi peragendum hac hora superesset, quod silentio praeterire nefas esset, quodque funesti hujus spectaculi squalorem abstergit & diei hujus tristitiam laetiore aliquo eventu exhilarat & compensat. Ad te enim, Nobilissime atque Amplissime BEMPDENI, ea, qua par est, veneratione adcedo, ut primum tibi in hanc bonarum artium aedem introitum felicem ac fortunatum adprecer, novumque hunc honorem, quo Musarum nostrarum cura ac tutela tibi demandata est, faustum atque auspdatum sollempniter gratuler. Non ea mihi frons est, ut operosa atque ambitiosa virtutum, quae te exornant, praedicatione in titulos laudum tuarum multis, licet meritis, encomiis exspatiando pudori tuo vim faciam, cum id averfari te ipsum probe noverim, neque ea mihi dicendi facultas sit, ut tenui atque exili hac Oratione haud vulgares animi tui dotes adsequi aut rite efferre possim. Id unum tamen a me addi patiaris, me non tibi adeo, qui tot intaminatis honoribus fulges, ut ab hac Athenaei nostri cura vix novus titulis tuis splendor

dor adcedere possit, spartam hanc gratulari, quam Musis nostris, quibus ab illustri tua dignitate ingens decus & ornamentum additur, quaeque candidum illum ac laetum sibi illuxisse diem gaudent, quo tutelae tuae commissae fuerunt; cumque tam benigne ac comiter in contubernium tuum receptae sint, sperant etiam atque augurantur, se placidum semper & liberale hospitium apud te inventuras esse. Eas igitur prolixo tuo patrocinio ac custodiae commendamus, utque cum Illustrissimis Collegis tuis, Lycaei hujus ac bonarum artium Maecenatibus, diu felix & superstes commodis Athenaei nostri, ita ut facitis, porro promovendis & amplificandis invigilare, atque hunc Triumviratum, quem rei literariae constituendae causa sustinetis, diu tueri & exornare possitis, vovemus. Vobis gratias meritissimas agimus, quod tam promte ac sine mora vulnus illud, quod morte Clarissimi Siebenii huic Palladio inflictum fuerat, curare ac sanare, clademque hanc, ne quid detrimenti literarum studia ac juventutis nostrae commoda caperent, sarcire ac pensare volueritis, designato jam novo Successore, probato & experto togatae militiae Duce, quem ex eadem Academia, qua evocatus a vobis fuerat ille, quem hodie lugemus, huc arcessivistis ac Themidi nostrae adseruistis. Faxit Deus Opt. Maximus, ut ille salutem & incolumitatem literarum strenue tueatur, famamque Athenaei

nostri fervet augeatque! Interim pro vestra, Viri illustres ac magnifici, vestrorumque omnium perenni salute vota ardentissima concipere non desinemus, utque longa annorum serie vos incolumes ac felices Patriae nostrae, civitati atque huic Lycaeo superesse, ac commodis publicis strenue porro consulere supremum vobis concedat numen, venerabundi vovemus.

Deum inmortalem supplex adoro, ut Patriam nostram, ejusque Patres & Tutores, almam Ecclesiam ejusque Moderatores, atque urbem hanc, ejusque Proceres splendidissimos, denique & hoc bonae mentis sacrarium, illustresque illius Custodes, numine suo propitius sospitet ac tueatur quam diutissime; nobisque omnibus ac singulis eam mentem dare velit, ut hodierno exemplo fragilitatis nostrae admoniti, id unice agamus, ut, quantum patitur inbecillitatis humanae ratio, in omnibus dictis factisque nostris id ante oculos nobis ponamus, ut aeternitatem semper cogitemus.

D I X I.

AD VIRUM CLARISSIMUM  
PETRUM BURMANNUM

J. U. D.

HUMANITATIS STUDIORUM IN ILLUSTRIS AMSTELÆDA-  
MENSIIUM ATHENÆO PROFESSOREM, &c.

CUM PARENTASSET VIRO CLARISSIMO  
CORNELIO SIEBEN

J. U. D. ET PROFESSORI.

ORATIONE HABITA D. XIV. OCTOBR.

CIO ID CCXLIII.

*S*cilicet eximios carpit mors aspera mores.

*Sustinet haec fontes; innocuosque rapit.*

*Tu carus patriae, tu carus vivis amicis:*

*Templa, Deum metuens, castus adire soles.*

*Dente quod obsceno rodat, non invenit ater*

*Livor: & invidiae non tibi tela nocent.*

G

Tem-



*Tempora longa tamen, fatorum ignare tuorum,*

*Si sapias, ne tu polliceare tibi.*

*Non tibi vera manum pietas defendet Avernam:*

*Non umquam Superum numine tutus eris.*

*Adspice SIEBENUM. Pura nive vultus amoenus,*

*Pectoris indicium candidioris erat.*

*Huic Charites, Phoebusque pater, doctaeque Sorores,*

*Huic dederat clarum nomen amica Themis.*

*Heu durae miseraeque vices! Nisi pulvis & ossa,*

*E fragili texto nunc super, ecce, nihil.*

*Qui vivum coluere, bonis & amantibus aequi*

*Fletur, & adsidui causa doloris erit.*

*Quam tibi, flebilior nulli tamen occidit Ille,*

*Amstela, qui tanta luce superbus eras.*

*Ille, tuam veteres pubem qui finxit in artes,*

*Ab jacet! Ab quantum jam tegit urna Virum!*

*Cum gemitu, celebrat funus BURMANNUS acerbum,*

*Solvit SIEBENO debita justa tuo.*

*Eliciunt lacrymas immitia fata Poëtis.*

*Sic merito cineri dona suprema ferunt.*

*At*

*At dixit Themis alma: tuas, i, siste querelas,  
 Sitque modus lacrymis, Amstela care, piis.  
 Non lacrymis, non est Elegis revocabilis ullis.  
 Ipse nec, ut sinerent fata, redire velit.  
 Nam saturum laudis, vigili sudore paratae,  
 Gaudia praeceptis uberiora beant.  
 Crede mihi: Clariis qui dotibus aequet ademtum,  
 Nulla, vel (inquit) humus Gelrica sola dabit.  
 Harderoviceni VRYHOVIUS una Lycei  
 Gloria, Pierii lumen amorque chori,  
 Quique meis digitis priscum formatus in aurum est,  
 Ut reparet damnum triste, vocandus erit.  
 Amstela motus erat dictis. Vocat. Ille vocanti  
 Adnuit, Amsteliae fama futura Scholae.  
 VRYHOVI propera. Quot jam tibi commoda spondet  
 Amstela! Promissis munera plura feres.  
 Ipse tibi princeps docti DORVILLIUS orbis  
 (Num videt huic ullum Phoebus uterque parem?)  
 Gratantes alacer venienti porriget ulnas.  
 Prodet ovans populo gaudia justa palam.*

*Mite tot Amstelii tutetur culmina Pindi*

*Numen, & insignes servet ab arte viros.*

*Praesidium Musis, BURMANNE, jacentibus ingens,*

*Sisque diu patrii dos pretiosa soli.*

*Nemo tuum Patrum poterit superare; sed ipsum*

*(Idque facis) meritis aequiparare stude.*

*Quod genti solet esse tuae, jam vertice coelum*

*Quae ferit, hoc semper sit Deus, opto, tibi.*

## E P I T A P H I U M.

Hic ego qui jaceo, Gelris carissimus olim,

Mox amor Amsteliae, fidus, honosque Scholae,

Non minor Aestraeae, quam Phoebi gloria vixi,

Justitiae doctor, justitiaeque tenax.

Lingua canum taceat. Defendor voce bonorum:

Defendor lacrymis, Amstela moeste, tuis.

ABRAHAMUS ARNOLDUS VAN TOLL.